DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

1180

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VIII. APRILIS,

M. MARTINO AKAKIA, Doctore Medico, Præſide.

An melancholicis meri potio ſalubris?

EA eſt naturæ humanæ conditio, ut nulla ipſi conſtet ſecuritas. Quæ illam ambiunt nunquam non inſidiantur; quæ intùs clauſa gerit, cum eâ perpetuò confligunt. Inter tot infenſos hoſtes præcāriam hanc trahere animam neceſſe eſt, miſerè quidem, & ad breve tempus, cùm qui ipſam induit homo omnibus promiſcuè utitur; proſperè verò, & ad multos annos, cùm omnia ex legum medicarum præſcripto agit, inprimiſque curam habet eorum quæ aſſumuntur, & maximè potûs, cujus ut longè major eſt quàm cibi neceſſitas, ſic & vis multò ſuperior. Et certè valetudinis ſtudium à ſalubris potûs delectu ſejungi non poteſt; ut is habeatur, non ſemper conſuetudini obtemperandum eſt, nec audiendus quoque appetitus, plerumque conſueta non planè ſalutaria, & quæ grata ſunt, frequenter ſubamicâ ſpecie decipiunt, occultúmque deleterium hoſtem gerunt: ſed potûs & potantis natura invicem conferenda, ſeriò expendendum quid alterum valeat, alterum exigat; Secùs nihil in hoc caſu ſtatui, aut ſtatutum innoxiè exhiberi poteſt.

MELANCHOLICORVM non unus ordo: Alios natura tales protulit, alios morbi, curæ, & vivendi lex tales exhibuit. Hi omnes ſqualidi, agreſtes, mœſti, timidi, pauco, eóque debili calore perfuſi, quorum ventriculus perpetuò appetit, hypochondria ſunt ſuſpenſa & murmurantia, corpus totum uligine refertum, adeò ut ni undiquaq; eructaverit humida, ineluctabilis ipſi incumbat morbi neceſſitas: Humor venarum & arteriarum conceptaculis concluſus ad alendum ineptus quia aſper, efferus, venenatus, nec potens regi à naturâ: Hinc illi macri, cardialgici, cauſarij, queruli, remediorum avidiſſimi: An ideò ipſis concedendus horum frequens uſus? abſit: exinde plus detrimenti quàm emolumenti. An fato ſuo relinquendi? inhumanum prorsùs: ſed cibo & potu juvandi. Fœlix cui inter tot potuum genera, quæ aut natura protulit, aut ars adinvenit, contigit eo uti à quo ſitis ſedetur, coctio promoveatur, diſtributio juvetur, ſtomachus corroboretur, hypochondria non diſtendantur, ſanguis edulcetur, uno verbo omnis excrementorum, præſertimque urinæ excretio perficiatur.

VINI certè magna vis eſt quâ ingenium acuit, major quâ morbos curat, maxima quâ ſanitatem ſartam, tectam ſervat. Tot & tanta modô ocyùs, modò tardiùs, modò ſtrenuè, modò imbecillè, quâ datâ occaſione, omnigenum vinum efficit. Commodiſſimè verò & nullâ naturæ adhibita vi quæ in Pariſiorum finibus, Campaniâ, & Burgundiâ nata, annis præſertim benè conſtitutis, propriámque temperiem ſervantibus. Hæc quippe viſcera fovent, non torrent, quemadmodum Hiſpanica: non fumos nobiliſſimæ mentis arci offundunt, ut Aureliana: Non ſeroſis excrementis corpus onerant, ut quæ in frigidiore Briæ tractu ſuccreſcunt: non obſtructiones pariunt, nec melancholici ſucci copiam aggerunt, ut craſſa & nigra quæ ex agro Burdigalenſi huc advehuntur. Nec refert multùm, an rubore læta fuerint, an candore jucunda. Sat fuerit ſi decorâ & ſerenâ puritate ita reluceant, ut illa de roſis, hæc credantur nata eſſe de liliis. Optandum equidem tale lixivium vinum, quia præſtantiſſimum: ſed cùm non ſuppetit, tortivum ejus loco ſubſtituatur, modò defæcatum & concoctâ acerbitate maturum.

NVBEM pro Iunone captat qui merum potens eſſe vinum credit, non purum. Meraca quædam ſunt dilutis etiam multò inferiora, eóque ſolùm nomine exoptanda, quòd ſalubrem illam vini vim (quâ nihil ad totius corporis nutritionem uberius, ad corroborandum præſentius, ad ſpirituum generationem, eorúmque diffuſionem per totum corpus promovendam accommodatum magis, natura procreare poterat) illibatam contineant. Surrentini, Andreſiaci, Aïaci, Remenſis, Belnenſis, Divionenſis meri, privilegium eſt benigno ac nobis familiari calore nativum noſtrum augere: hominem ad actiones obeundas expeditiorem reddere: temperato vapore & naturæ amiciſſimo corpus totum perfundere, ad cujus præſentiam (non minùs quàm ad clavæ Herculis aſpectum monſtra) omnis diſſipetur atra anathymiaſis ab humore melancholico prodiens: hoc ut ventriculi imbecillitatem, & cruditatem ab humore frigido contractam ſanat, ſic ſyncopes quæ ab exhauſto ſpiritu, aut à crudis ſuccis os ventriculi laceſſentibus profecta ſit, præſentiſſimum eſt remedium: Et quod mirum, hypochondria non onerat, primas venas non offercit: quoquoverſùm celeriter permeat, agendique finem non facit, quin potorem ſuum ab excrementorum tyrannide liberaverit, præſertimque largo urinæ profluvio beaverit.

QVAM ſalubre ſit mero ſe proluere, cùm urget potûs neceſſitas, noverunt ſuo commodo melancholici: ſtatim atque huic vivendi legi ſe addicunt, continuò videas eos rubicundo floridóque faciei colore decoros: Ex vultuoſis & tetricis hilares ac feſtivos: ex macris obæſos: ex aridis exuccis & exanguibus ſuccoſos, & æquabili ſuccorum copia irriguos. Non jam ipſis marceſcens calor, ſed vegetus: non intermortua altrix ferèque devicta, ſed novis & audacioribus copiis recreata: non flatibus diſtenta hypochondria, ſed æquabiliter mollia, tactúique cedentia; & qui in aliis niger eſt & obſcænus ſanguis, in his proprio fulgore rutilat, & amabili luce ſplendeſcit: nulla in eo ampliùs acerbitas & auſteritas, ſed optanda omni ex parte dulcedo deprehenditur. Non horum quemquam audias de valetudine conquerentem: proventus & collectio uberior ſeroſæ illuviei, unde infiniti penè morbi in dies ſcaturiebant, non ampliùs fit, quidquid aquei peracta nutritione ſupereſt illud citò amandatur ad veſicam, adeo ut nihil melancholicis accommodatius vino poſſit exhiberi.

Ergo melancholicis meri potio ſalubris.



Proponebat Lutetiæ PETRVS LOMBARD, Æduenſis Diœceſis, A. R. S. H. M. DC. LXVI.